

Reuerendissimi, Excellentissimi, Illustrissimi, Perillustres, Magnifici, & Generosi Domini Principes, Senatores, cæteri que Serenissimæ Reipublicæ Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuanix congregati Ordines.

Quinquēnium est ex quo in hoc amplissimo confesso comparuit Orator Lotharingicus, etsi successu irrito; nunquam tamen poenitendo, innotuit Serenissimæ Reipublicæ, tam laudabili ambitione Princeps CAROLUS, quæ quamuis scopum suum nõ fortitá non potest tamen apud tam generosas mentes gratam sui memoriam non reliquisse, & fas sit dicere, nescio quod ius in amicitiam Vestram sibi acquisiuisse videtur. Iuuat adhuc recordari magni illius diei, quo non auersis Polonorum animis, sed fatis alio trahentibus Serenissimus Princeps Lotharingus spe conceptá non in totum exeidit dum proximè ad coronã esset, non nisi Polono cesisse, cuius præmaturum obi-

obitum, & Serenissimæ Reipublicæ lugendum,
eo quo par erat animi sensu percepit, condolet-
que. Quæritis quo animo tam honestam re-
pulsam tulerit, eo ipso, quo Coronam acce-
pisset, animo Regio, & tam in aduersa, quàm in
prospera firmo, neq; vnquam regnare dignior
visus est; quàm vbi regnandi spem amiserat.
Testor ex hoc Augusto Senatu quàm plu-
rimos, quos discedens literis grati animi te-
stibus humanissimè compellauit; & tanquam
rediturus. Videre mihi videor omnium ora
oculosque in me conuersos tanquam sciscitan-
tium quibus studijs, quibus in tantam spem ru-
dimentis Princeps Lotharingus interuallum
hoc transegerit, quod fata ipsa ad maturitatem,
si quæ adhuc decrat acquirendam concessisse
videntur. Dicam testis oculatus, & si placet
iuratus, & eò liberius dicam quod quæ in ocu-
lis totius Europæ gesta sunt, neque ab inimicis
occultari possunt, neque ab amicis supra meri-
tum exaggerari. Transtulit ad exercitum
Cæsareum eam ipsam gloriæ auiditatem quam
in Polonia restatus fuerat, adiecto ad priorem
animi magnitudinem hoc nouo stimulo, ne
quid ageret, quod tanti Regni Candidatum de-
dece-

deceret. Hungariam quam iam antea famam
suam illustrauerat, dum Turcarum impetum ad
Sanctum Gothardum primus cum legione sua
stitit, Supremus Equitatus Cæsarei Dux pacauit;
Binis in Imperium Germanicum expeditionibus
adfuit, eam Vigilantiam & fortitudinis laude,
ut eum Comes Montecuculi, si vita suppeteret,
primis in Europa Ducibus annumerare non
dubitauerit. In laboribus indefessus omnia
magni Ducis & fortissimi militis munia obire
visus est, diem ducendo agmini, disponendisq;
quæ in rem necessaria erant, noctem quam semper
in castris, & inter milites transigebat magnam
plerumque partem lustrandis vigilijs,
præsidijque impendebat, & apud gregarium
militem instar prodigij erat intra diei spatium
Principem Lotharingum non nisi semel vidisse. Ipse
tentoria militum circumire querelis omnium aures
præbere, aditu tam facili, ut ne infimus quidem
ab eius accessu arceretur. Si quid vel in submi-
nistranda annona negligentiæ, vel in stipendijs mi-
liti persoluendis difficultatis occurrebat, id ipse
summam curam, & sollicitudine remouebat; & seu ag-
men ducendum erat, seu munimentum hostile op-
pugnandum, seu locus castris eligendus nemo

Id exequabatur solertiùs, nemo intrepidiùs;
Quà opportuna aquatio, quà pabuli lignorum-
que copia, quà castra mouenti tutum maximè
iter, quæ forma agminis, quibus potissimum
armis hostis impetendus, quò impedimenta,
quò sarcinæ, quò turba inermis reijcienda quò
ea aut quali præsidio custodienda, his curis cogi-
tationibusq; ita animũ agitauit, vt nulla ei in ta-
li re difficultas noua oriri possit. Dignum sanè
Martia Polonorum Coronã tyrocinium. Com-
militonem vobis offerimus, Viri fortissimi, non
deliciis aulae innutritum, sed cœli, soli que in-
iurijs assuetum, & vt in partem gloriæ Vestræ,
ita & in partem laborum accessurum. Non
ex gynæceo Achillem cuius nondum probata
virtus Poloniam periculoso experimẽto expo-
nat, sed duodecim iam annorum cõtinuatã mi-
litiã instructum, & in eo apud exercitum Cæsa-
reum gradu, ex quo Rudolfum Habsburgicum
Imperatorem sibi assumere non dubitauit olim
Germania. Virum damus eã ætate, quæ cupi-
ditates adolescentiæ effugit, eã vitã, quæ nihil
præteritum excusandum habet. Eã domo, quæ
mille & amplius annis toto orbe celeberrima,
multis gentibus Reges dedit, omnibus sæculis
hero-

herôes, eâ Regū stirpe qui coronas non tantum
aureas, sed & spineas iam à Godefredo portare
didicerūt. ijs moribus, qui illū omniū in quibus
vixit aularum, omnium exercituum delicias
reddiderunt. Eâ in Deum pietate, in Religio-
nem Catholicam constantiâ, vt non tantum
non in Serenissimam domum suam, sed neque
in vllam ditionum suarum partem, vllam vn-
quam nouitatis labem admiserit. Talis ad
hoc magnum tribunal redit Lotharingus ve-
ster coronam Polonicam ambiturus vel in præ-
mium præteritarum virtutum, vel in incita-
mentum futurarum, & quâ fiduciâ tantum ho-
noris fastigium à generositate Vestrâ expectat,
eâ ipsâ se suaque omnia tutelæ Serenissimæ Rei-
publicæ committit. Ipsam suam Lotharingiam,
regnorū æmulam & quæ Principibus suis redi-
tus non multū infra regios pendet, Illam inquâ,
vtilitati Vestræ totam deuouet. Nec est quod
quispiam obijciat aureū discordiæ pomum hūc
afferrî. Notum est orbi vniuerso de restituendâ
Lotharingiâ nulli vnquâ dubium incidisse, de
modo restitutionis quæstio fuit, de quo Vos In-
clyti Proceres, vbi Principē Carolū Coronâ Ve-
strâ dignati fueritis, vt de re Vestrâ, vt de Regis


Poloniæ patrimonio iudicabitur. Post Christianum nomen contra Turcas fortissimè vindicatum, post tam immanem hostem à cervicibus Europæ depulsum, quid deest ad cumulū gloriæ, quàm vt Christianus orbis prudentiæ Vestræ pacem domesticam debeat, pro debita postmodum gratitudine in communem hostem, arma sociaturus. Ea in manibus vestris posita est. Et ne quid interea detrimenti patiatur Respublica. 1^o. Offert Serenissimus Princeps ea Subsidia, quibus vrgentioribus necessitatibus subueniri, & militiæ de toto orbe Christiano tam bene meriti stipendia in nonum ab hoc præsentem Mensem, vel tria vt vulgò vocant quartalia exsolui possint, quibus & Nobilitas subleuabitur, & militum ardor ad noua facinora excitabitur. 2. Offert quinque peditem millia seruitio Serenissimæ Reipublicæ, pro hac imminente Turcica expeditione ære proprio sustentanda. 3. Cedit Lotharingiæ Dux in commodum Serenissimæ Reipublicæ, durante vitâ suâ medietatem amplissimorum reddituum Lotharingiæ, & Barri Ducatum, qui vbi hæreditario iure ad Principem Carolum deuoluti fuerint, accedet & altera medietas.


tas rebus Polonicis in pristinum splendorem
restituendis liberaliter applicanda. 4. Assu-
met Serenissimus Princeps quingentos Polo-
nos Nobiles in corporis sui Custodiam in qua
tanquam in Seminario ad vltiora in militia
officia formabuntur. 5. Bina in confinijs
Fortalitia, vnum in Turcicis, alterum in Mo-
scouiticis sumptibus proprijs exstrui curabit,
nisi Serenissima Respublica maluerit, eos Ca-
minieco, vbi recuperatum fuerit, muniendo
impendi. 6. Gymnasium pro Centum Po-
lonis Nobilibus exercitijs equestribus imbu-
endis, vel Mulliponti in Lotharingia, vel in
ipsa, si magis libuerit, Polonia, fundabit. Quæ
omnia accuratius exponētur ijs Deputatis quos
Serenissima Respublica assignare voluerit.


Agite Viri fortissimi, & Poloniam Vestram
Principi Carolo eâdem generositate committi-
te, quâ ille Vobis Lotharingiam suam confidit.
Veniet è Castris ad Castra, à galeâ ad Coronam,
eâdem alacritate à Coronâ ad galeam rediturus.
Veniet nulli mortalium obnoxius, nulli exter-
norum Principum vllò dependentiæ vinculo
obstrictus. Totus Vester, & in Polonorum mo-
res,


res, habitus, foedera, amicitias, inimicitiasque
transiturus. Et quem potius, per Deum im-
mortalem, aut quem meliori omine, quam Re-
gem Hierosolymitanum in Turcas ducatis? Vi-
dit olim in caelo Crucem Constantinus, & in
hoc signo vicit; Videt & hodie Polonia non
minori praesagio fulgentem in caelo suo Crucem
Lotharingicam, &, si Superis placet, tam no-
tum Victoriae signum amplectetur. Nihil ar-
duum erit, nihil imperium, aut Polonis Lo-
tharigo Duce, aut Lotharigo Polonis militi-
bus. Finiam cum Guicciardino rerum Ita-
licarum Scriptore celeberrimo, asserente
Remp: Venetam, nisi virginitatem iu-
rasset, non ex alia quam ex Domo
Lotharingica Sponsam sibi quaer-
situram fuisse.














P. A.
BIBLIOTEKA

